...cobus et Hiacynthus

... Danielis Clavis aurea.

# CLAVIS AVREA,

Generosis & Magnificis, Antiquæ Nobilitatis splendore conspicuis Heroibus, Solidissimo Amoris Glutino Coniunctis Fratribus

# D. IACOBO DE MICHAŁOW MICHAŁOWSKI,

TRIBVNO LVBLINEN: S. R. M. AVLICO.

&

# D. HIACYNTHO DE MICHAŁOW MICHAŁOWSKI

*A*

*M. DANIELE OTREBVSZ Collega Minore, Officij & debitæ obseruantiæ ergò. Anno reparatæ salutis humanæ M. DC. XXXIX. Oblata.*

CRACOVIÆ,
In Officina Christophori Schedelii S. R. M. Typogr.
Anno Domini 1639.

## In Stemma Gentilitia Augustæ Domus, DD. MICHALOVIORVM.





*Læta triumphato virtus* MICHALOVIA *claui*
*Quam stupuit Theuto, perfidus atq; Scythes.*
*Nulla Tibi faustas mutet vis lubrica sortes,*
*In Lechico fœlix aurea secla trahe.*

M. Daniel Otrebusz Golleg: Min.

# CLAVIS AVREA

GEntilitio ſplendoris ornamento, ad fortunatam honorum in Repub: Polona maieſtatem, virtus Michałovviorum inclareſcens, aurum rubigini incognitum, in materiam ſtemmatis traxit. Pugnacem temporum calamitatem neſcit aurum, clauis aurea, calamitatis, quâ maligna fatorum uis, nobiliſsimas quasq; familias affligit neſcia, ex inclyta Michałovviorũ Proſapia veluti Alcinoi aureo horto, diuina manu conſito, viros innutritos ſapientiæ exercitamentis promit, palludamento militari indutos exercituum Ductores voluit, illorumq; veſtigia gnauiter calcantes Senatores, qui per immenſos prudentiæ fines, ad auguſtum illud Iuſtitiæ templum: per ſpacioſiſsima hiſtoriæ antiquæ iuxta ac nouæ pomeria ad occupandam gloriæ aram præiuerunt. Poſtquam enim excuſſo ac depulſo illo barbariei iugo Sarmaticus hic Orbis, ſpirare paſsim liberè elegantias cæpit, & pallentem faciem, artusq; laborantes in vires caloremq; genuinum redu-

xit; dici non poteſt qui feruor in Animis Michałovviorum exarſit non ſolùm conſeruandæ, ſed ampliandæ patriæ dignitatis. Inter curas Reipublicæ fuit litteras, in litteris autem, pacis belliq; diſciplinam, & vniuerſamdeniq; Reipublicæ benè adminiſtrandæ rationem haurire. Ipſe flos ſpes Patriæ iuuentus, per vetuſtam, aut monſtratam hanc à maioribus virtutis viam, ad doctrinam perexit: & dum in ipſa ſtudiorum velut incude poſita fuiſſet, formantis manum liberè admiſit, moleſtum diſciplinæ ignem ſuſtinuit, exercitationi tantùm detulit, ut iam exploratò cognoſcerent, Septentrionem ambitioſa & arrogante aliorum iniuria, quaſi hebetem & obtuſum accuſatum, ingeniorum cultu, litterarum elegantiâ, doctrina politiore florere, & apud exteros, quaſi in ſacris olympiæ certaminibus præconium mereri. Cùm ergò præcipuæ mortalium dominæ, Natura, Virtus, fortuna, acri contentionis ſtudio, in Michałovviorum Domo ornanda & cumulanda ſecum certent, & quæ ſumma ac prima habuêre, plena manu, ac largo ſinu in eam effundant: In eius perquam venuſto aſpectu immorabor, lineaſq; primas inclytæ Domus contemplandas ſumã, Virtutes omnes quibus Familia Michałouiorum, continuatis, & in ſe velut in orbe redeuntibus annis ſemper emicuit, ſigillatim percurram, & veluti in tabella intuendas proponam. Hic mihi ſanè ampliſsimus aperitur campus ad dicendum. incredibile enim memoratu,

quot,

quot, & quàm illuſtres in Michałovviis, per omnem temporum ab ipſis Domus incunabulis, ſeriem non interruptam, virtutes refulſerint, quibus recenſendis, & cum dignitate explicandis, nullius oratoris eloquentia, nedum hominis in dicendo parum exercitati par eſſe poſsit oratio, quarum virtutum amplitudine, & præſtantiâ, ſi ab inſtituto elogio, ad quod me meus ſingularis affectus, obſeruantiæq; in Domum auguſtam, ardor, & zelus impulerunt, me deterreri negem, iratas omnes muſas perpetuò habeam: Sed quoniam virtus ipſa per ſe glorioſa, & potens, ſimplici, nudaq; gaudet veritatis enarratione, nec conquiſitæ, ac mendicatæ aliunde eget laudis lumine, audebo cum Deo, ſuſceptum munus aggredi, & aliquid de ſingularibus Michałouiorum virtutibus delibare, atq; feliciora, facundioraq; ingenia, ad eundem campum decurrendum excitare. quo in argumento peritos ſculptores imitari ſtatui. Quemadmodum enim illi, non vniuerſam ſtatim imaginem, verùm digniſsimam hominis partem, caput præfigere tironi ſolent, ut ab ipſa artis arce, laboris auſpicium ſumatur: Ita cùm eximium earum virtutum, quæ excelſis Michałouiorum animis altè conſederunt, ingenioli mei acies fulgorem ferre non poſsit, certè imaginem illarum & ſimulachrum quoddam in nonnullis factis illuſtribus, non aliter, atq; ſolis inacceſſam lucem, in aqua contemplandâ mihi proponam.

Alteram Fabiorum Michałouianam gentem, dicere, veritati conforme elogium erit. Quæ enim duo inter clades Patriæ, funestos bellorum casus, & pericula ad Deos penè euexerunt Fabios, in horribili Martis contentione, armorum disciplina, & patriæ amor, in pace vniuerso orbi admirandus, ciuibus veris imitandus. Michałouiorum Domus à fonte, & origine magna, à radice inclyta, ad hæc tergemino radio virtutis, Doctrinæ, Nobilitatis insignis, ea omnia complexa est, ut domi militiæq; ad Fabiorum gloriam processerit, armis ad terrorem hostibus in confinio patriæ fuerit. Et cum fortunam Nobilium Mars, & horrida quædam virtus, famam nominis posthumam, litteræ promouerunt, præclara Michałouiorum rudimenta in armis collocata, quantum ad dignitatem effloruerunt, quot è puluere Martis succrescentes palmatas victorias numerarunt. Primus in omni virtute non tamen solus, Nicolaus olim de Michałovv Castellanus Cracouiensis, iustis annalium monumentis, & prægrandibus voluminibus, ob res arâ æternitatis dignas, quoad usq; lucidisimus sol, astrorum Dux, temporum moderator, iubare plenissimo Zodiacum aureâ luce corruscantem decurret, celebrabitur. Etenim quæ in omni genere excellens atq; præstans virtus est, quæ in eo non reperta fuerit? quod honestatis atq; dignitatis lumen, quod in eo non eluxerit, & resplenduerit? qui stimuli atq; faces, ad summæ gloriæ amplitudinem,

quæ

quæ non aſsiduè nobile eius pectus, incitarint, exacuerint, inflammarint? quæ præſidia atq; adiumenta, ad ſalutem hominibus dandam, ad propulſanda pericula, omnemq; peſtem atq; labem auertendam, quibus non præclarè communitus atq; circumſeptus fuerit? Quot deniq; modi, quibus homines de hominibus, de Deo, Eccleſia, Rege, vniuerſa deniq; Patria mereri ſolent, quæ non illi veriſsimè atq; ſupra alios egregiè conuenerint? Itaq; quidquid erudita antiquitas, naturam ducem in rerum perueſtigatione ſecuta, de bono viro, de optimo Ciue, præclariſsimè, atq; acutiſsimè diſſeruit: quidquid Religionis noſtræ Politici, atq; moralium documentorum veri proſeminatores, cæleſtibus eruditi diſciplinis, de perfecto ſenatore, atq; omni laude cumulato principe, grauiſsimis monumentis conſignatum reliquerunt, id omne clariſsimus Vir piæ memoriæ Nicolaus de Michałovv Caſtellanus Cracouienſis & idem Capitaneus factis, & rebus, vita, & moribus, officiis atq; ſtudiis mirificè expreſsit, effinxit, atq; repræſentauit. Nam ſi quis prudentiæ nomine gloriatur, ſi fortitudinis, & magnitudinis animi virtute claret, ſi Iuſtitiæ titulis extollitur, ſi temperantia nomen glorioſum inuenit, ſi libertatis gloria ſplendet, ſi quis item ullo alio virtutis genere, nomen ſibi immortale comparauit, iſta omnia ornamenta, & alia quàm plurima, quæ Reges ornare, regna ſtabilire, felices ac beatos ciues reddere ſo-

lent,

lent, in pectore vnius huius viri, cui labentes res Polonæ innixæ, ad felicitatem optatam effloruerunt, licet reperire. Si enim illam vitæ Magiſtram, gubernatricem actionum, oculum Regum, cuſtodem rerum, ducem beatitudinis prudentiam requiremus: ecquam tandem maiorem prudentiam deſiderabimus eâ, quæ in eodem Nicolao de Michałovv eluxit? Per Maiores Polonos, & per Bohœmos, quos ſciẽtiæ bellicæ peritiſsimus Czapko ducebat, Noua Marchia vaſtabatur, volabant vbiq; ad tecta vltrices íræ faces, & crebreſcebant incendia, quibus etiam ágri vicini, propter ſpacioſam Marchiæ conflagrationem relucebant, & infinita vis luminum à maioribus Polonis & Bohœmis comparata geſtataque manibus, lucem diurnæ ſimilem fundebat. Ferro & ignibus miſcebantur omnia; nec aut ſexus, aut ætas verecundiam iuſtè infenſo militi faciebat: nec ipſe locus quantumuis Sacer Iuſta odia animos ſpirantes deterrebat; quo minus ibidem ſontes mactarent. Mœſtiſsimo huic & ſimul iuſtiſsimo caſui, & tanquã funeri tam inclytæ Nouæ Marchiæ pius Rex Vladislaus Iagello, quia oculi eius præ ſenectute caligauerant adeſſe non potuit. Adfuit Auguſtiſsimus Heros NICOLAVS MICHALOVVSKI, & florentiſſimum quemq; virtute, indole robuſtiſsimum militem Sarmaticum, euocatione Regia collegit, Aquilas Sarmaticas felici Regis auſpicio explicauit. Jt obuiam Czapkoni, ſuiſq; copijs auxiliarijs cum eius

Miech. cap: XLVIII. Lib4. A. D. 1431. Sol. 199.

ius iunctis,rem mutuis consilijs cæpit agere, agmen ducere, statiua designare, oppugnationem Pomeraniæ moliri, obsidione cingere, pugnare, demum vincere, vicit, expugnauit, triumphauit; totamque Pomeraniam vastauit in tantum, vt solùm quatuordecim villæ in tota Pomerania remanerent. Quem ergò aut ardentioribus à Deo precibus efflagitare, aut sanioris mentis præiudicio ominari, & sperare poterant Imperatorem maiores Poloni, quàm qui tot & tantis virtutum insignibus ornatus esset, & à quo innumerabiles in Regnum Poloniæ vtilitates promanaturas existimarent, quemque communes temporum casus, atq; turbulantissimæ moles tempestatum, vehementissimè exposcerent, atq; desiderarent. Hic in turbine bellorum animosus Imperator ostendit, MICHALOWIANAM Domũ nunquã animo in prælijs concidisse, semper Deo confisam insperatas palmas victoriæ ex hostibus Poloniæ numerasse, pulueris Martij calamitatem, inuictum castrorum adamasse rigorem, interq; æstus præliorum, strepitus lituorum, murmura bellica, animos generosos auxisse suis militibus. Quàm sæpè contra immanissimos hostes, multitudine innumerabiles, atq; omni genere copiarum instructos, exercitus duxêre, signa contulêre, victoriam cum insigni gloria reportarunt? quàm acritèr eorum crudelissimos impetus retuderunt, audaciam fregerunt, vires attriuerunt, castris exutos fugarunt, fuderunt, trucidarunt? quoties

ties ipsi in confertissimos cuneos, ac mediam belli flammam alacri animo irruerunt, corporum suorum oppositu hostibus iter intercluserunt, ac præsenti vitæ periculo, commùnia omnium pericula propulsarunt, legantur annales, euoluantur historiæ, percurrantur rerum memorabilium exempla: inspiciantur marmora, signa, tabulæ, picturæ, omnia plena MICHALOWIORVM. Sed tamen si quis Domus huius Amplissimæ omnes Illustriss: Heroas perspicacibus sanioris mentis oculis perlustrare gestiat, & largè benedictionis diuinæ in Michałowiorum genus effusæ incrementa animo comprehendere contendat; is nisi huius Augustissimæ Domus à multis sæculis repetat clara initia, nequaquam scopum sibi præfixum attingat. Potest quis multitudinem ornamentorum, quibus maiores MICHALOWIANæ Domus fulgebant conspicui, promere; potest plurima plurimarum virtutum exempla, in horum serie numerare; amplitudinem Domus tàm Augustæ, celeri mentis cursu permeare, aut exundantē roris cœlitùs in hanc domum defluentis abijssum, nisi, qui cúm illis antiquissimis Satmatis insignia resplenduisse, honores creuisse, res præclarè gestas viguisse perspiciat, peruestigare certè nō potest. Eam enim ego domum verè beatam dixerim, quæ continuata temporum serie, & annis in se velut in orbe redeuntibus, ab illis, quorum memoria non extat, sæculis, & rerum gestarum gloria, & ho-

no-

norum atq; inſignium ſplendore ſemper floruit. Sic nempe & aquilis annoſis redintegratur decor, ſic natali funere decedens, ſuccedenſq; iterum phænix ſuismet exuuijs reſeminatur: ſic angui priſtin9 renouatâ pelle immigrat vigor. Vera enim ac germana nobilitas ſtirpe ac fundemento virtutis nititur, ac tamdiu dignitatem ſuam retinet, dum in ea ſplendor honeſtatis eluxerit, vt ne vmbra quidem & veſtigium vllius noxæ appareat. Nihil enim quod animi decus inquinat, quod ſpeciem mentis deformat, quod ſtatum rationis euertit, cum nobilitate cohærere, atque habitare ſimul poteſt. Ergò poſtquam ille Clariſs: Nicolai Caſtel: Crac: animus omni exaggerata virtute, ad miraculum futuræ poſteritati cumulatiſsimus, veluti generoſus ales, mortalitatis exuuijs depoſitis cœleſte Prijtanæum, & Capitolium adijſſet, & Apotheoſi meliori, quàm vnquam Romanorum Auguſti, in arduis cœli nidum ſuum collocaſſet. Clariſsimus Varſsius de Michałow flos iuuenum, virtuſq; virum, germanæ, hoc eſt, natiuæ compos virtutis, amoris ſtimulis, ad liberrimè ſolaria ſpicula excipienda, educatus, à pullatis periſtromatis in lucem publicam; ab obſcuro animi dolentis ſqualore, In Vitovvdi caſtra, cũ Thamerlane Tartarorũ duce infeſtiſsimis ſignis concurſurum, properat, fit magni Ducis miles, & ne ætati ſuæ lacertoſæ armiſq; idoneæ, pulcherrima factorum incrementa, pulueris Martij ſqualor defuiſſet, eas cohortes, quæ firmiſ-

ſimæ fuerant vniuerſi exercitus, nutu rexit & imperio, ductu & exemplo, in hoſtiles acies incendit, non dignitate modo, ſed loco, periculis, Virtute, Anteſignanus factus, quid poſſet Sarmatici Militis dexteritas, quid Tribuni Militum, in rebus agendis prudentia, quanta ſit bellicæ laudis præſtantia, in illo Theatro generoſæ virtutis, vniuerſis ad ſpectaculum declarauit. Abundante enim multitudine Tartarica cum Polonorum res deteriori loco eſſe cæpit, & cum Vitovvdus, hortantibus militibus ad cuſtodiam ſui corporis conſtitutis, Sandiuogio de Oſtrog, & Dobrogoſtio de Szamotuli, equos mutando effugit, exercitus verò ſuus à multitudine barbarica ad internecionem vrgeretur; Vocaſius aliâs Varſius de Michałow pugnantes hortando pariterq; obeundo pericula, ſuſtinuit: ille feſſos, abnuenteſq; tædio, & labore, nunc precando, nunc caſtigando accendit: ille fugientes reuocauit, omiſſamque pugnam aliquot locis reſtituit. Poſtremo cum haud dubia fortuna hoſtium eſſet, ne ſuperſtes tanto exercitui, ſuum nomen ſecuto eſſet, concitato equo ſe in cohortem Tartaricam immiſit; ibi vt domo Michałovviana, & Spitkone de Melſztin Palatino Crac: Socha Palatino Plocen: Pilyk Palatino Varſſauien: qui penes ipſum cumulati iacuêre dignum erat, non victus ſed fatigatus cecidit. Indoluit Mars Lechicus, Epaminondæ Sarmatici, tot ornamentis, quot cicatricibus commendati, exuuias cernens.

Miech: lib. 4. cap. XLI. Act. 1397.

Indoluit

Indoluit Patria, ſibi cariſsimi pignoris, dum exanimes vidit artus, & æterna in cedro Heroi incidit monumentum. Hic Varſsius de Michalow hoſtium terror, gloria militum, Hæres virtutis, & æmulus Auguſtæ fortunæ conditur. Prodeat nunc in certamen ſuperba Roma, enumeret prædas, ſpolia opima, manubias militares, auru m coronarium, quo fortia pectora, veluti baccato monili decorata, poſteritati exhibebat: in Michałowiorum Proſapia, quot fratres, tot coronæ, tot ſpectacula, tot theatra fœlicitatis. N icolaus Michałowski Caſtell: Crac: murus Patriæ veriùs, quàm Hector dicitur Troiæ. Scutum Poloniæ feliciùs, quàm Fabius Romæ. Varſſius de Michałovv propugnaculum contra Tartaros fortiùs, quàm olim Scipio Italiæ. Verè enim hæc duo flumina belli, duo fulgura ætatis ſuæ, hoſtili furori formidabiles extiterunt. Prodeat in certamen ſiue antiquitatis, ſiue ſplendoris, qui à virtute, rerum geſtarum gloria, atq; honoribus, proficiſcitur, quælibet domus, cum Michałouiorum Domo, ſuamq; à multa temporum myriade repetat originem, ſuas producat imagines, à noſtræ hiſtoriæ ſcriptoribus depictas. Fuerunt in familia Michałouiorum, illis temporibus, quibus nulla litterarum monumenta extabant, omnia verò alto ſilentio ſepulta erant, Camilli, Torquati, Coruncani, Sempronij, Scipionesq; Polonici, qui vel turmas hoſtiles ſternẽdo, eorum in ceruicibus gladios cruentabant, vel arces ab

 obſidi-

obſidionibus tutati ſunt; vel in medias hoſtium phalanges irruendo, illis terrorem, ſuis animos faciebant, vel deniq; pro patria occumbebant. Fuit in hac florentiſsima familia Reipub: amor, æquitatis ſtudium, cultus legum, in auertendis propulſandisq; Reipub: periculis, ſolicitudo, in ſumptibus faciendis magnificentia, in longè lateq; proſpiciendo acrimonia, in omnibus dictis, & factis ita admirabilis iuſtitiæ obſeruantia, ut Aſtræa cœlo delapſa, non ambitioſiùs in alia, quàm in Auguſtiſsima Michałouiorum familia, dignum maieſtate ſua domicilium collocaret. Non eſt neceſſe, ut infinitam illam ex hoc ordine æquitatis amantium ſeriem repetamus: Si enim Nicolaum de Michałow Palatinum Sendomir: Varſsium, Palatinum Plocen:, Nicolaum Caſtellanum Sendomirieñ: Stanislaum de Michałow Subiudicem Raueñ: Iacobum de Michałow Pocilatorem Cernen: Gaſparum Vexilliferum Cernen: S. R. M. Secretarium, Melchiorem Tribunum Lublineñ: Subiudicem Cracouieñ, lumina patriæ, & nunc corruſcantes cœli ſtellas inſpexerim⁹, & cogitationem noſtram aliquantiſper ad vetuſtatem huius familiæ converterimus, quis noſtrum erit tam in rebus manifeſtis caligans? ut eam iuſtitiæ ſemper amantiſsimam fuiſſe, in dubium vocet. Hîc me locus ipſe admonet, ut admirabilem illam Nicolai de Michałow Sendomirienſis Palatini, vxoris animi magnitudinem commemorem, niſi verear, ne tenuitate

Crom: lib: 119. p. 381.

tate

tate orationis meæ tam nobilis fæminæ splendorem diminuam, dicam tamen ut potero. Tu Magnifice Domine Tribune Lublineñ, non ex oratione, sed ex ipsius rei natura rem omnem ponderabis. Obsecro habeat hanc veniam oratio mea, ubi rem ipsam exposuero, non magnopere credo phaleratus à me verborum apparatus requiretur. Cum Regina Vladislai Vxor authore Vitovvdo adulterii accusata esset, Nicolai de Michalow Michałowski Palatini Sendomiriensis vxor iuravit cum aliis septem Nobilissimis fœminis, reginam insontem eius criminis esse. O clauem æternùm memorandã: o cœlitùs fabricatam, quæ tot tantisq; viris referta, imò onusta, tot seculis varias periculorum Syrtes, arduos difficultatum scopulos, fortunæ turbulentissimas procellas superasti, regiæq; domui subuenisti. Ex te tanquam ex equo Troiano, hucusq; viri multis variisq; publicis muneribus decorati prodeunt, quos non labores in ornanda patria fatigare, non bellorum incommoda frangere vnquam possunt. In Tua peraugusta Domo certant parentes cum liberis virtute: certat Virtutis fulgor cum generis splendore. Hæsit nimirum Cunctis hac antiquissima Domo profectis tenaci mente, hæretq; etiam nunc celebris illa in Hecuba Euripidis sententia. Inest in hominibus (inquit) insignis & evidens nota.

*Probis satum esse; generis illustrat decus,*
*Quisquis celebribus dignus est natalibus.*

Iam

Iam verò pace firmanda,& ſeditionibus fugandis, legationibus arduis præclarè & feliciter obeundis, magnis in Republica muneribus cum dignitate ſuſtinendis, Domus veſtra quoties deſudauit? tædioſum eſſet longas texere de ſingulis Hiſtorias; ſed liceat mihi pauca piæ memoriæ Parentis Veſtri leui digito attingere? Quid? nonne Clariſsimus Melchior Parens Veſter Subiudex Cracouienſis creatus, munera nunciorum terreſtrium obiuit? nonne animum viri, & amantis Patriæ Ciuis in comitiis Terreſtribus declaravit? Nonne aurea illa eloquentiæ catena, animos refractariorum ad conſenſionem publici boni propagandi flexit? Nonne cum iam maturi eſſet iudicij ſole percocta ætas,eas animo cogitationes in Areopago Lublinen: obiecit, quibus fortes, & magnanimi viri, ad immortalitatem aſcendere, & propter veram gloriam, atq; honeſtatem omnia inferiora ducere ſolent, ita animi magnitudinem teſtatus eſt, vt magnorum etiam virorum magna in dignitate poſitorum effrænatam licentiam repreſſerit. Docuit ſe ex ea Familia ortum, ex qua præclariſsima illa lumina Reipub: Senatorij Ordinis Lampades, Familiæ Veſtræ decora prodierũt. Itaq; cum ſemper maiora virtutum ſuarum ſpecimina ederet, ſemper maiorem Regis Sigiſmundi III. & Ordinum beneuolentiam ſibi conciliabat: amabant eum Senatores,propter ſingularem in rebus agendis dexteritatem; amabat ſupremus Regni Po-

loniæ

loniæ Cancellarius Dux belli Ioannes Zamoyski, & propter incredibilem in Patriam, in Ciues, in bonos omnes, meritorum magnitudinem, Filij ſui Illuſtris: Domini Thomæ Zamoyski, Supremi poſtea Cancellarij Regni Tutorem reliquit. Hunc tam præclarum omniq; virtutum genere, perpolitum Parẽtem Veſtrum, niſi aduerſa valetudo altiores dignitatum gradus reſpuere, & vires corporis continuis languoribus attenuatæ, magiſtratus, veluti vorticibus difficultatum oppoſitos ſcopulos, refugere coegiſſent, multis rebus à maioribus ſuis præclarè geſtis, multò maiorem cumulum adieciſſet: nec pro animi ſui vigore, & ad ardua ſemper aggredienda propenſo, vllos, qua pace, qua bello, ſuſtinendos labores, vnquam detrectaſſet. Bono verò fato, mors præmatura Patris, quæ multis tenellis liberis exitio plerumq; ſolet eſſe, Tibi Magnif: Domine Tribune Lublinen: Fratriq; Tuo natu minori Hiacyntho, viro ad quæuis præclariſsima dexterrimè gerenda, à natura, & ab arte excellẽter efformato, ne quidquã noceret, per Matrem Veſtram Nobiliſsimã & prudentiſsimam Matronam MARIANNAM KOWALSKA prouiſum eſt. Quæ & vobis rectè educandis præceptores, viros, vita, moribus, litterarum cultu cõmendatiſsimos addidit, & in exteris nationibus, alteri veſtrum honeſtiſsima litterarum ſtudia tractanti, alteri quæ in Patria vſui aliquando forent diſcenti, ſumptus abunde ſuppeditare non detrectauit. Bonam ſementem ſubſecuta eſt meſsis bona.

Nam illæ impensæ, illa Matris vestræ Nobilissimæ, in vobis rectè instituendis studia, magna nunc Patrię subsidia, & ornamenta afferunt, & longè maiora allatura sunt. Tuam enim Magnifice Domine Tribune Lublinen: & Fratris Tui Adolescentiam, velut agrum quendam, semina diuinitatis tam benè subactum fęcundarunt, vt de vberrima messe spes Rempub: alat minimè fallax. Iam ergò gratulor cum vobis tùm toti Reipub: nostrę, quod in qua Claui maiores vestri omnibus pro Repub: susceptis & exantlatis laboribus cunctas difficultatum, inuidiæ, odiorum charybdes, scyllas, breuia, vada, syrtes, intrepidi superarunt, & ad fœlicitatis ętternę portum delati sunt; in eadem vos auitę virtutis non immemores, pro Domus Vestrę ornamento, pro Patrię salute desudantes, nec vitę, nec opibus vestris parcitis. Et dum hoc vobis gratulor, tum mihi vehementer gaudeo, quòd operam meam contulerim exiguam in culturam vestrorum ingeniorum, quę in animis vestris magnam de se excitarunt expectationem, eamq; nunc Patrię pręstiterunt. Gratulor deinde vobis omnia illa Platoni cognita quatuor nobilitatis genera, quorum vno non adeo multos, duobus paucos, tribus raros admodum, omnibus quatuor verissimè Nobiles vos esse, dicere & profiteri non dubitabo. Nam si quis iactat suam nobilitatem ex eo, quod claris bonis, iustisq; maioribus fuerit natus, ita vos vere Nobiles vocabimini qui talibus maioribus sitis prognati. Si quis crepat se Nobilem,

bilem, propter gloriam, per ſuos maiores in bellis partam; ita vos meritò nobiles appellabimini, vt qui ſartam maiorum veſtrorum ſeriem, fama, & opinione quam ex rebus in bello pręclare geſtis reportauit, celebrem habuiſtis. Si quis ex eo Nobilitatis bonum ſuum eſſe affirmat, quod ſui parentes Nobiles & Principes fuerunt; ita vos iuſte nobiles nuncupabimini, vt qui Senatori, Ordini Veſtros parentes inſertos, & magnis muneribus publicis præfectos habuiſtis, vidiſtis. Si quis ad extremum ideo Nobilitatis decus ſibi vſurpat, quòd animi magnitudine per ſe excellat; Ita Vos verè Nobiles dicendi eſtis, quos nec proſpera vnquam fortuna inſolentes reddiderit; nec aduerſa difficilisq; recto mentis ſtatu deijcere potuerit? Gratulor etiam vobis mutuũ inter vos amorem, eumq; tantum, quantus inter fratres etiam germanos raro reperitur. Huius virtutis iniquioris fortunæ tela in vos extorta perfringetis, dexterrimè huius virtute cunctis hoſtibus etiam grauiſsimis inuicti permanebitis. Gratulor ad huc Vobis eum animum, quem ſemper ad ardua tendentem, patriæ tum ornandæ, tum iuuandæ deuotiſsimum geritis. Speculum vitæ veſtræ maiorum ſcilicet veſtrorum vitam, intueri vos frequenter conijcio, ad quorum exemplar cum vosmet in omnibus rebus agendis decenter conformatis, diuinare hic liceat, nondum penitus attritam, & non vſquequaq; deploratas eſſe res noſtras, cùm bonis viris Reipub; noſtræ Clauum, manu contingere, &

 torque-

torquere liceat, cũ egregijs viris, & optimè de Rep: meritis, ea ornamenta, atq; commoda tribuuntur, quæ ſolis & non alijs debeantur. I bonis auibus Michalouiana Clauis, omnigenis virtutibus cœlitùs compacta quæ tot viros, ſalutis & incolumitatis patriæ tuendæ idoneos, tot ſæculis feliciſsimè protuliſti. I Clavis Michaloviana, prudentiæ gubernaculo; Zeli pro patria ſummi remigio, conſtantiæ & perſeverentiæ præſidio ſatis benè inſtructa, omneſq; inſurgentiũ fluctuum, & procellarum ictus graves, intrepida excipe, frange. I Clavis antiqua nullis vnqvam fortunæ incommodis diſſoluta, qvæ tot lucidiſsimas gemmas nullis pretijs cõparandas tutò circumferre tot ſæculis nunqvã deſiſtis. I felix, & priſcæ virtutis fortunæq; tuæ robore, vnà cum omnibus omnis ordinis armatis viris ad commune bonum vndiquaq; confluentibus, inhibe, comprime, diſſeca, perfringe à maligno Scythiæ & Thraciæ cardine Harpias concitatas. I velox, I Deo duce, nunc adverſis hiberna licet tumeant freta ventis: nec amplius retardent aut deterreant te veſani murmura Põti: illud vide, illud ſpecta, illud ſupera, quòd qui ferat in patriam, iam tibi vẽtus erit. Cùm verò ſic, auxiliantibus Superis, ſalua vnà cum Repub: noſtra euaſeris, me quoq;, qui in Te vna meos oculos, ſpem, auxilia defixi, ne reijcito: quin potiùs, quod multis hactenus præſtitiſti, in tuto beneuolẽtiæ Tuæ ſinu collocato.

D I X I.